



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De conditionibus ad votum, cum subiunctionis bonorum & fructum, tum paupertatis, pertinentibus. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

bonem soluti sint, liberamque illorum naturam acquirerint, qui nulla residendi necessitate sunt adstricti; eorundem quoque partes conditionemque sequantur, necesse est.

Si qui rursus Oblati nulli residendi iure Ecclesie addicti, Reuerendiss. Archiepiscopo iubete beneficium aliquod ecclesiasticum post susceperint, cui residendi munus debeatur; hi quippe cum in illorum classem, qui residendi vinculo sunt adstricti, adscripti iam sint propter beneficij illius adeptionem; eorundem deinceps conditionem naturamve sequi debent.

Hæc igitur diligentissime, perpetuoque seruent atque præstent Oblati, qui se obedientie voto Reuerendissimo Archiepiscopo manciparunt.

Verum si quis perfectioris vitæ desiderio incensus, quò suscepti huius instituti studijs, officijs, atque exercitationibus liberius seipsum dedat, vel paupertatem etiam vouere, vel saltem externorum bonorum quorumcunque, siue laicalium, siue ecclesiasticorum, quæ quouis modo, vel in præsentia habet, vel in futurum habebit, reddituumque ex bonis illis proficiscentium administrationem & vsum omnem, seruatò possessionis ac dominij, vt dicunt, iure obedientie voto subijcere velit; & hoc quoque reddituum subiectionis, aut paupertatis votum, explorata illius mente, planeque perspecto constantis animi desiderio, vel in ipso voti obedientie tempore, vel alio deinceps Archiepiscopus suscipiat.

Hiscæ enim votis obstricti Oblati, tum facilitate perfectioris acquirendæ viam ingredi, tum secularibus curis omnibus soluti, vniuersæ congregationis spiritalia bona atque incrementum liberius atque impensius procurare poterunt.

Si quis igitur paupertatem vouere voluerit, tunc voti formula talis sit.

E G O N. Dei benignitate & misericordia in sanctissimi Patris nostri Ambrosij Oblatorum numerum adscriptus, perfectioris nunc vitæ desiderio ductus, coram diuina Maiestate spondeo ac voueo, me ex huiusce congregationis instituto, paupertatem perpetuo

seruaturum.

Quòd si bonorum tantam subiectionem vouere voluerit, eadem seruetur voti formula; nisi quòd pro postremis illis verbis. Spondeo, ac voueo, me ex huiusce congregationis instituto paupertatem perpetuo seruaturum, hæc erunt subdenda, Bonorum quorumcunque, siue laicalium, siue ecclesiasticorum, quæ aut in præsentia possideo, aut ad me in posterum quouis nomine peruenient ac pertinebunt, fructuumque præter atque reddituum ex ijs bonis præuenientium administrationem, curam, & omnem vsum (saluo tamen iure possessionis, ac dominij) Reuerendissimi D. Archiepiscopi obedientie ad huiusce congregationis præscriptum subijcio, addico; & ita voueo.

De conditionibus ad votum, cum subiectionis bonorum & fructuum, tum paupertatis, pertinentibus.

Cap. V.

VERUM quod ad subiectionis bonorum fructuumque votum attinet, & illud quoque decernitur: per huiusmodi votum non prohiberi Oblatos, quominus alia etiam bona, quouis nomine, tituloque, ac iure acquirere & consequi possint; aut quominus Archiepiscopo iubente, quoduis ecclesiasticum beneficium, siue illud residendi munere obstrictum sit, siue liberum, suscipere, & retinere valeant: Sed istiusmodi tamen omnia bona, atque beneficia, eorumque fructus omnes eandem fortiri subiectionis legem, quæ superioribus imposita est, eodemque teneri voto.

Qui verò paupertatem vouerunt, illorum votum in hac congregatione duas habere conditiones annexas declaratur: quarum vna est quòd, quanquam qui ita uent, quominus bona aliqua, siue mobilia, siue immobilia, fructusve eorum, aut quouis modo acquisitos redditus possideant proprio nomine, vl voti prohibentur; ipsi tamen bonorum omnium, fructuum, ac iurium quorumcunque, quæ quouis nomine tituloque ad eos spectare alioqui possunt, non suo quidem proprio, sed congregationis nomine, ad-

ministracionis capaces censeantur: cum præsertim eorum loco ipsa succedat congregatio, cui sanè omnia per eos acquiritur bona iuraque annexa statim intelligantur: quæ cum privilegio Sanctissimi D. N. Gregorij XIII. omnium legatorum, donationum, dispositionumque omnium quocumque nomine, & à quibusvis pijs hominibus proficiscientium capax facta sit; eorum quoque Oblatorum loco ac nomine, qui paupertatis voto adstricti sunt, succedendi vim habere, subrogataque censeferi decernitur, quibuscumque bonis quacumque ratione iureque ad illos spectantibus.

Altera conditio est, quod vouentes possint absque voti solutione, vel prauaricatione, immo debeant omnino Archiepiscopo iubente quodcumque beneficiū recipere, quod animarum curam tituli nomine exercendam coninnctam habeat: cum præsertim ea conditione, & eo animo nuncupandum esse eiusmodi votum, talemque nuncupatum naturam seruare debere sanciat, vt sponte suscipiendi quidem beneficium, vt diximus, facultatem vouenti adimat, eum tamen non impediatur, quin ab Archiepiscopo iustus, recipere possit, ac debeat.

Ceterum, cum in hosce homines huiusmodi conferentur beneficia; tum voti paupertatis quo illi obstringebantur, in votum subiectionis illico commutatum censeatur, atque homines ipsos eorum ordini adscriptos iam esse, qui fructuum & bonorum subiectionem ex congregationis instituto præstare debent.

Quamquam istis quidem qui huiusmodi paupertatis voto tenentur, non sint danda ecclesiastica beneficia sine magna ab Archiepiscopo adhibenda cautione.

Cum enim hi quasi fundamenta quedam & bases congregationis sint; istos ipsos & in ædibus sancti Sepulcri, & in alijs eiusdem generis perpetuo commorari, & ad vnumquodque officij genus quocumque tempore, cum in Ciuitate tum in Diocesi promptè exequendum, liberos esse, & expeditos maxime decet.

De ratione administracionis fructuum Archiepiscopi obedientie subiectionum. Cap. VI.

Nequè verò fructus Reuerendissimi Archiepiscopi obedientie subiecti in alium usum impendi conuertive debent, quam aut in subleuanda inopia & indigentia ipsorum Oblatorum, eorumque consanguineorum vel affinium: aut in ijs rebus iuandis ac præstandis, quæ ad quoslibet congregationis vsus pertinent, aliæ pia opera.

De ratione votorum supra expositorum. Cap. VII.

AT verò duplex votum supra expositum, siue sit obedientie tantum, siue subiectionis bonorum, paupertatisve; non solenne, sed simplex & dicatur, & habeatur, etiam si coram pluribus testibus, publicisque & solennibus adhibitis caeremonijs celebretur.

De facultate, & ratione excludendi Oblatos à congregatione. Cap. VIII.

Quemadmodum verò multiplicibus ministerijs, variisque operibus Oblatos, quamplurima pietatis & charitatis semina spargentes, vberimosque fructus inde colligentes, & vniuersæ Mediolanensi Ecclesie plurimo adiumento, & congregationi ipsi incredibili ornamento perpetuo fore, & præterea vniuersæ quoque congregationi charissimos futuros esse haud dubium est: ita sanè si quis eorum (quod Deus auertat) sui muneris & dignitatis oblitus, propriamque & aliorum salutem negligens, atque constitutionibus suæ congregationis non parens, scordie & vitij se tradiderit, vnde alijs quidem scandalo, congregationi verò dedecori sit; hunc à congregatione excludendum esse insciendum non est. qua ratione enim tuendi corporis causa, corrupta, morboque marcescentia membra præcidere secarique aliquando oportet; eadem nempe conseruanda congregationis gratia, si qui ex

Oblato